Diese Kopie ist von der 2. Zeile an der Brief von P. Sajnovics, den dieser in Wardoe geschrieben hat: es ist ein Bericht über die Arbeit von HELL und SAJNOVICS und über ihre wissenschaftlichen Ergebnisse

Das Original befindet sich in der Bibliothek der KONKOLY Sternwarte in Budapest.

Erhalten am 2. März 1989

[illegible] XVII

1.

Reverende in Xto Pater Rector!

Mitto binas literas, quas eodem cursore eoque postremo a P. Sajnovics Vardhousio accepimus. Prima sic habet: Reverende in Xto Pater: Mense Novembri superioris anni de profectione nostra, atque adventu in Wardoë literas ad te dedi.x Nunc de commoratione, de victu, de laboribus, de cœli tempestate paucis te edocebo. Postquam 20. Novembris Solem in meridie oriri, et paulo post in eadem occumbere vidimus, longum à nobis vale accepit. Lucis loco tenebræ ingruebant. Nubes quæ cælum involvebant, nigerrimæ sunt, et densissimæ. Vix hora una, alterave candelæ lumen extinguere licuit. Sed pejus erat quod eadem nubes omnia sidera conspectui constanter eripuerint. Unde observationes ad Elevationem poli determinandam in melius tempus differendæ erant. Interea venti incessanter furebant tanta quidem vehementia, ut sæpe domum nostram ligneam in vicinum mare provolvendam merito timuerimus. Nunquam minus, quam in longa hac nocte à me, et à R. P. Hell dormitum fuit. Etsi enim circa 11mam lectos peteremus, non tamen ante 3tiam se Morpheus insinuabat ullas. quæ incommoditas omnibus hujus loci incolis communis est. Quare ipsi noctu æque ac te invicem invisere, et potu Caffee, ac Thee recreare solent, atque alias de die fit. De frigore queri non possum. Unica vice in Reaumiriano mercurius ad gradum 15 infra zerum descendit. In patientia ergo, et longanimitate tempora præstolabamur meliora, et Solem reducem. Tandem sedentibus in tenebris lux orta est 19 Januarij, ubi iterum Solem in meridie orientem, et ibidem occumbentem vidimus. Iste jam interdum discutit nubes, et dies, noctesque sereniores reducit. Quinque certe claras, et sine omni nube habebamus quibus egregie usi elevationem poli ex observationibus 70 aliquot Stellarum deductam habemus. Noctibus his in acceptis referimus, quod tandem eruditus orbis veram, ac genuinam causam auroræ borealis expectandam habeat. R. P. Hell Philosophico, et Astronomico oculo detexit luces has nec ab Electricitate, nec à particulis sulphureis, et salinis, nec à glacie, nec ab Athmosphæra Solis esse repetendas. Proponet DEO juvante R. P. Hell in Austriam redux observationes suas pulcherrimas, et demonstrationes firmissimas typis exscriptas Orbi proponet, qui sane mirabitur genuinam lucis borealis causam tamdiu latuisse. Unicum addo risisse nos sapidissime, dum in novellis Vienensibus observatam auroram borealem legerimus, et ubi additum fuit eam ab oriente Luna extinctam fuisse. Sereni hi dies rarissimi sunt. Hæc de temperie aeris. Nunc de victu pauca, accipe. Nosti quod ad Regia mandata omni supellectile domestica largè instructi simus, coquusque additus. Iste nobis prandia, et cœnas parat pro more suo omnia abundanter. Septem quidem tantum de eadem penu vivimus, interim dimidium Wardoë saturatur de culina nostra. Sed et ab aliis quoque non raro dona accipimus, puta, lac, ova, pisces, agninas, carnes bubulam. Scriptum quidem fuerat ad vicinum locum Vaczoë, ut nobis perdices, lepores, Rangiferos mitterent, sed frustra hæc expectavimus usque in Januarium, cum tandem ex Vaczoë aderant Lappones in suis Pulkis, seu trahulis Rhenonibus vecti, qui præter lepores etiam 200 perdices attulerunt, genus avium candidissimum, uti et lepores erant pulcherrimi, et albissimi. Quia vero prandium nostrum, uti et cœna de ordinario quatuor ferculis constant, accidit interdum, ut 2dum ferculum esset perdix aine Rippen, tertium aine Rippen, quartum aine Nachrippen. Quando hospites habemus non sic, sed omnia pro hoc loco quidem magnifice. Pro haustu adest aqua, vinum album, et rubrum Francicum, cerevisia duplex, Caffeo, herba Thée, Sacharo abunde provisi sumus. Chocolatta tamen vehementer deficit--- Dies esuriales, et quadragesima erat valde difficilis. Neque enim piscis recens propter raritiam.

tempestatis haberi potuit. Ergo celebratissimus Saipa hic quoque famem sedare consuevit. Jam pauca
de Laponibus adjiciam. Lapones sunt collectio hominum in montibus, et silvis habitantium. Aestate habitant
sub tentoriis, hyeme ad gazas fere subterraneas sese recipiunt. Oeconomia in Rangiferis consistit, quo
plures quis numerat, eo habetur ditior. Ubi muscum crescentem pecora depasta sunt, collatis vasis cum
tota familia ad alios montes migrat hospes, adeoque gens haec est vaga. Ex Rangiferis habent lac, butyrum,
caseum, carnes, quibus victitant, e pellibus eorum vestes sibi parant, pars portat perones, dicere Boykor,
pars cothurnos, dicere Csizma. Perizomata seu Gattyas habent singuli, et tapratas caligas pedibus
adstrictas, uti caligae Ungaricae sunt. Praeter indusium breve, et subuculam tunica vestiuntur. Nulli hic
sacci, funiculo, aut cultriori zona supra tunicam praecinguntur. Collipendii fines, qui ad pectus propendent,
sunt sacculi instar, in quorum uno silicem cum chalybe, in altero pecuniam, et si quid pretiosi habent re-
ponunt. Capilli intonsi, pileus quide Kolpag refert. Faeminae eodem vestitus genere utuntur, quo Viri
Rhenones suos, seu Rangiferos dum adhuc juvenes sunt, nolunt vendere, sed solum adultos; unde pelles
Rangiferorum pulchrae, et delicatae rarissime videntur in Clamydibus Norvegorum. Sed vectura genus est
lepidissimum. Navicula (neque enim ipsorum Pulyk aliter vocare possum) Rangiferum praejungunt, ipsi
sedent in naviculam, et funem cornibus cervi alligatum manu tenent. Impulsum pecus currere
incipit, et per saxa, montes, et valles eodem impetu fertur, navicula pro ratione viae jam huc, jam illuc
inclinante. Si nives recentes, et albae sint, res pergit commodissime, at ubi lapides, aut trunci lapidum
obstant, magna cautela est opus, ut aequilibrium servetur, hoc semel amisso navicula evertitur,
et male in nivibus volutatur peregrinus, qui funiculis ita naviculae alligatur, ut se in cunis
jacere credat. Hanc recreationem etiam ego, et R. P. Hell nuper habuimus, tametsi uterque gra-
riosissime eversi simus, bene quod naviculae illigati non fuerimus Rangifero cum navicula
dum itineris Lappmem eodem modo vectum insequente. Caeterum sedemus domi, et lectione
Librorum, indagatione algarum marinarum, concharum et tempus impendimus, ut insignem e
solitudine nostra fructum, et eum multiplicem, et publicum sperare possimus. Lumen marinum
quo totum pelagus ignis instar coruscat nocte, qua de causa proveniat, evidentissime demonstra-
tum habemus. Quodsi DEUS 3tiam Junij diem nobis faventem praestiterit, pleni gaudio, miseriarum
obliti omnium in Patriam revertemur Magnalia DEI praedicantes, qui gratiis suis plurimis
pretiosum etiam valetudinis constantis donum adjunxit. Multi hic Scorbutico morbo laborant licet
aura jam, et climati assueti. Quatuor eorum fatis functi, alios R. P. Hell porrectis ex Apotheca
sua medicinis restituit, deficiente eos hoc tempore Nasturcio, et herba cochleari qua praesens sunt
contra id genus morbi remedium. Sed et animabus, qua licet, mederi satagit idem R. P. Hell.
Primores, qui antea odiis scindebantur, ita mutati sunt, ut se jam invisant mutuo, eidemque mensae
accumbant. Boni hi Viri nos primum sui similes putabant. Ideo initio statim dies in hebdo-
madam edictus, qua apud Commendantem baal celebraretur. Piaculum erat ulli e Nobilioribus ema-
nere, nihil dubitantes nos quoque eorum vitam victuros, ubi primis diebus res necessarias
composuerimus. Sed enim e sermonibus nostris, et conversatione, atque moribus brevi adverterunt,
quae sit Romani Sacerdotii dignitas. Solitudinem nostram, moderationem sobrietatem, et praesertim
ipsorum etiam oculorum à sequiori sexu abstinentiam magnopere, et nunquam satis mirabantur.
Erubuêre sua baal, qua nos absentia nostra damnabamus, eaque missa fecerunt. Magna observan-
tia, et honoris significatione nobiscum versantur, dum apud eos prandemus, aut ipsos officii causa
in

inviſimus, uxores, filiasque suas ne in conſpectum quidem admittunt, ea potiſſimum credo ex ratione, quod nos dum ipsos aliquoties jam prandio lautiori exciperemus, segniorem sexum penitus excluſerimus. Filiæ Nobiliorum sine ulla mariti acquirendi spe hic miſere vivunt, uti in pleriſque Norvegiæ locis. Nempe boni Viri dum contra noſtra Monialium Monaſteria debacchantur, ipsi in domibus suis Moniales nutrire coguntur. Quamquam et iſta --- Studia, et labores noſtri ad naturalem tantum hiſtoriam potiſſimum pertinent; quando cœlum conſtanter nubilum, ventoſum, nivoſum vix Aſtronomiam nos exercere patit. In algis marinis, et herbis ad littus maris ejectis, aut creſcentibus pulcherrimas res jam deteximus. Putaresne corallia, aliasque herbas nihil eſſe, niſi mera animalia, qui ea videt, quæ nos, dubitare non poteſt. De ſtellis marinis, conchis, cancris etc multa eſſent referenda, quæ reipsa etiam incolæ terrarum harum hactenus ignorarunt. Præter talia duas alias summi momenti res deprehendimus, quarum utilitate et conſequentiis deducendis conſiderata R.P. Hell exiſtimat, jam nunc omnes itineris expenſas à Rege factas abunde eſſe compenſatas, neque ab expeditione noſtra majorem fructum ſperari potuiſſe, atque iſti inſperati sunt. Eorum unum eſt, quod decreſcentiam maris obſervatam, calculatamque habeamus: augentur nempe, et magnis incrementis terræ in noſtro globo terraqueo deficientibus aquis; hinc quæſtiones enaſcuntur pulcherrimæ per se se, et utiles non minus, quo hæc tanta aqua deveniat, an viſcera terræ petat, et quas itidem mutationes in cavernis, terræ motibus, ignibus subterraneis faciat? an in Athmoſphæra pendeat aeris, eamque quotidie augeat? quid gravitate sua in tempeſtates, morbos, humana corpora poſſit? an dum regnorum maritimorum terræ creſcunt, creſcat quoque œconomia, et quia evidenter demonſtratur œconomiam decreſcere, regniſque integris interitum iminere, habebunt politici, quod conſulant, quibus mediis interitum avertere poſſint. Plura ſimilia Regum quoque mentes advertent. Alterum inventum noſtrum longe iſto pulchrius, et quod ad maximam Europæ partem ſpectat, Patriamque noſtram Hungariam mire attinet, tantæ magnitudinis exiſtimamus, ut inventionem adhuc velimus celatam, et nemini ante, quam ipsi Potentiſſimo Daniarum Regi oretenus velimus comunicatam. De qua quidem re quoties nobis eſt ſermo, eſt autem frequentiſſime, liquido ſemper gaudio exultamus benedicentes DEUM, qui expeditioni sui cauſa ſuſceptæ tam proſperos succeſſus largitur, et nos in vaſtiſſimi sui ædificii, quod moliri videtur, fundamenta primos injecerit. Oretis DEUM, ut omnia porro fiant ad laudem, et gloriam Nominis sui, et exaltationem S. Matris Ecclesiæ. Tuas literas diebus Auguſti Menſis ſcriptas in Martio nobis Poſta attulit cum plurimis aliis Viennenſibus, Pariſinis, Hafnienſibus. Magno nobis ſolatio fuit, quod ex P. Heller Confeſſarii Cæſarei literis legerimus magnam Cæſaris, et Auguſtiſſimæ Theresiæ ſolicitudinem de proſperitate R.P. Hell et ſpeciale Auguſtorum deſiderium frequentiſſimas de Hellio suo relationes audiendi. Eadem poſta Romanas reddidit à Generali noſtro literas, tam pulchre, tam paterne, tam ſolatioſe ſcriptas, ut nihil ſupra. Ego in iiſdem diſpoſitionem meam, et officium his conceptum verbis legi: Spero P. Socium Ræ Veſtræ ſolatio, et ubi operam ab eo aliquam requiſierit, adjumento quoque futurum, quod suo tempore, quando plus otii nacta ad me perſcripſerit magno cum gaudio inter alia intelligam. Erit ſane quavis Ipſius Epiſtola mihi multo acceptiſſima. Supereſt ut gratias pro notitia ad me data agas Ræ Veſtræ, ac P. Socio favores cæleſtes, et fauſtiſſima quæque apprecer. Vale cum omnibus tuis, et noſtri conſtanter ad aras memento. Vardoi 3 Aprilis 1769. Tuus in Xto Joannes Sajnovics.

Nunc alteram subjicio. Rdē Pater. Te DEUM laudamus! Sinceriſſimo affectu una nobiſcum ut depromatis Te, ceteroſque RR. PP. perhumaniter invito. Placuit enim Clementiſſimo Numini expeditionem noſtram benedicere, et obſervationem per ſolem tranſeuntis Veneris plenam, atque omni ex parte

per

4

perfectam indulgere. Impleta sunt ... Potentissimi Dni ac Regis vota, impleta totius regni desideria, [illegible] expectationi eruditi orbis! Quis dilectae Matri nostrae Societati honor inde accedat, hoc praesertim calamitoso tempore, vos ipsi videtis. Proh! quam amaris insultationibus vexata, et proscissa fuisset item a malevolis, si tanta expeditio à Tali Rege, Viro de Societate nostra tam invidiose oblato non fuisset assecuta primarium finem! Haec dum animo repeto, prae gaudio mihi Lachrimae fluunt; facileque intelligo hanc singularem Numinis benevolentiam vestris precibus, et Sacrificiis, quae illi hunc in finem obtulistis, deberi. Agite ergo amplissimas DEO ter Optimo gratias, quod Supplicantium vota benigne exaudire dignatus sit, eoque ampliores, quo certius est, beneficium ipsud non Ordinarium, et vulgare, sed singulare prorsus, et cum manifesto miraculo fuisse conjunctum. A die 27 Maji usque ad tertiam Junii solem non vidimus ob perpetuas nubes. Hac die postquam correspondentes accepimus, tertio Nubes ingressus disparuit: Circa quam vespertinam stabamus ad tubos: Ego, R. P. Hell, et Lovdiasus Nidrosi ensis Spem inter, et metum praestolantes, si forte paululum emergente Sole ingredientem Venerem observare liceret: paulo post apertura in nubibus facta, et Solem quasi per fenestram conspeximus, et utrumque contactum ingredientis Veneris eleganter vidimus. Nondum 5 minuta effluxerant cum iterum densis nubibus involutus Sol non amplius integer prodiit. Eurum comitabatur alia nubes per horas omnino 5 pertinaciter: de egressu videndo plane fuit conclamatum. Stabant hospites nostri juxta nobiscum tristes et maesto obtutu, altoque silentio dolorem, et commiserationem loquebantur. Nobis quid animi fuerit, facilius est conjectare, quam scribere. Spes unica in DEO, et quidem si voluerit miraculose succursuro. Interim tempus imminebat, quo Venerem egredi oporteret, cum radii Solis oppositam sibi densissimam nubem dissolvere sensim, et tandem plene disjicere ceperunt. Apparuit Luce plena Sol, et uterque Veneris exeuntis contactus ad amussim observatus est. Quanto cum gaudio, quantis Divinae Clementiae laudibus, non possum dicere. Hospites nostri, quibus miraculi nomen insolitum et fortasse etiam ridiculum est, uno tamen ore fatebantur non humanis, aut naturalibus causis, sed singulari prorsus, [illegible] Numinis favori esse referendum, quod hac caeli facies ita apte, atque [illegible] mutabatur. Ego miraculi magnitudinem, dum vixero, gratus venerabor. Ibat dein per serenissimam caeli regionem Sol, accuratissime Eclypsis ejus observata est, idem in linea meridiana acceptus. Post prandium mundissimo caelo correspondentes altitudines iterum acceptae, quarum ultimam dum adscribo, eodem momento turbo e Septentrione oritur, teterrimis nebulis caelum, terras et maria involvens, neque Solem ab illo tempore videre licuit, licet jam dies 6ta Junii agatur. Quam sortem Astronomi nobis vicini habuerint, ignoramus. Duo Mense Aprili ex Anglia advenerunt, ad Cap. Nord observatoria sua infigentes, alia navis Anglica alterum Astronomum Spitzbergam devexit. DEUS ipsis sit propitius in furioso hoc pelago, et iniquissima tempestate hujus climatis. Plura scribere non possum, properante bajulo quem R. P. Hell Hafniam expedit, ut Suae Majestati Regiae de felici observationis termino nuncium laetissimum ferat. Nos DEO dante circa 22 hujus hinc movere cogitamus. Dabit idem, ut vobis Trondheimio scribere brevi possim. Valete interim omnes, ac singuli, et nostri in vestris Sacrificiis mementote. Vardoë 6ta Junii 1769. Tuus in Xto Joannes Sajnovics.

Epistola hoc Patri Spleny fuit scripta, [illegible] expedita
Cum autem ea contineantur nova scitu dignissima, Ago[illegible]
Ambus [illegible] ut eam describeret, [illegible] Laborem [illegible]
hoc nomine Lubenti [illegible] animo
[illegible], cui multum se debere agnoscet, quod Rndo Patri
a me intelliget. Episcopus [illegible] die 27 Aug. [illegible]
per Archi-Eppum Zbisko ac [illegible] Consecratus [illegible]
ad nos [illegible] biduo [illegible] misit. [illegible] Magne adstat [illegible] Sept.
[illegible] tabacam [illegible] [illegible] [illegible] gratias
RR. SS. et me gratiis commendo, [illegible] Patri Molnár proxime rescribam. Saluto
[illegible] Nic. [illegible]